

lium aliquas particulares conditiones attritionis seu doloris, sed solum quatenus ex institutione Christi requiruntur ad plenam et perfectam remissionem peccatorum, id est, ad illam quæ datur in hoc sacramento per claves Ecclesiæ: hæc enim est plena et perfecta remissio. Ad hanc autem requiruntur dolor ex institutione Christi, et quatenus est sub illa institutione, est pars. Institutio autem Christi hoc addidit supra dolorem consideratum ex sua natura et motivo, quod ordinetur et subiciatur clavibus Ecclesiæ: ergo sub isto respectu et ordine habet ille dolor esse pars et materia sacramenti: at vero quando Concilium loquitur in capite quarto de attritione quatenus est dispositio ad effectum sacramenti, sic ait: « Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsus, etc. » Et per hanc attritionem dicit: « Disponi hominem in sacramento ad impetrandum Dei gratiam: » ubi Concilium quia loquitur de attritione ut dispositio est, et non solum ut pars sacramenti, expressit illas duas conditiones, nempe, quod excludat voluntatem peccandi cum spe veniæ, quas non expressit quando locutum est de attritione ut est pars sacramenti.

XXI. Sic ergo dicimus, quod si attritio sit supernaturalis ex motivo, ex quo concipitur, et dicat ordinem et subjectionem ad claves Ecclesiæ, quod ex institutione Christi requiritur, sufficienter est pars, seu materia sacramenti, atque adeo constituit validum sacramentum, etiamsi

ex aliqua ignorantia non habeat illam efficacem voluntatem excludendi peccatum, aut efficacem spem veniæ, quia istæ sunt conditiones requisitæ ut attritio sit dispositio ad effectum sacramenti, et in illis habendis potest homo facillime decipi, et sibi persuadere quod habeat efficacem voluntatem relinquendi peccata, et tamen in re et de facto non habeat, sicut oportet ad consequendam remissionem peccatorum.

XXII. Et huic doctrinæ Concilii concordat doctrina S. Thomæ in iv, dist. xvii, quæst. iii, art. iv, ubi docet: « Quod confessio ut est pars sacramenti ordinat hominem ad claves Ecclesiæ, et secundum hoc confessio potest esse etiam in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua sacerdoti innotescere, et clavibus Ecclesiæ subicere; » et hoc modo admittit posse dari confessionem: salvari ergo potest in contritione, seu dolore ratio partis, et materia sacramenti sufficientis ad constituendum sacramentum, sine aliis requisitis ad efficaciam attritionis: non quidem defectu motivi, et specificationis actus (quia supernaturalis est) neque ex defectu extensionis ad omnia peccata oblita, quia virtualiter ad omnia illa se extendit, sed ex defectu conditionum requisitarum et concomitantium, ut, verbi gratia, ex defectu efficacis exclusionis voluntatis peccandi, aut ex defectu veræ spei requisitæ ad veniam.

XXIII. Dices: Bene potest aliquis subicere se clavibus, et confiteri sacerdoti sine aliquo dolore supernaturali, sed solum ex naturali motivo; ergo sola voluntas subjiçendi se clavibus non sufficit ad constituendum verum sacramentum; ergo falso S. Thomas salvat sacramentum informe ex hac parte, quia potest habere voluntatem subjiçendi se clavibus sine contritione; si

enim non habet dolorem, eumque supernaturalem, quantumcumque velit confiteri, non facit sacramentum. Et confirmatur, quia potest aliquis velle confiteri cognoscendo evidenter se non habere voluntatem efficacem excludendi peccatum, vel ejus occasionem, et tamen tunc non facit sacramentum validum; ergo falso dicit S. Thomas, quod potest se subicere clavibus, sine hoc quod sit contritus, et faciendum sacramentum informe, cum in casu posito sacramentum sit nullum, etiamsi subiciatur se confessioni. Imo contradicit sibi S. Thomas, quia in iv, dist. xxv, quæst. i, art. i, quæstiuncula ii inquit: « Quod contritio est de essentia sacramenti poenitentia, » cum tamen in hac distinctione xvii dicat: « Quod potest aliquis subicere clavibus Ecclesiæ, sine hoc quod sit contritus: et tunc erit sacramentum informe. » Quo modo possunt hæc componi; si enim contritio est de essentia sacramenti, non potest sine contritione sacramentum dari, quantumcumque se subiciatur confessioni.

XXIV. Respondetur nihilominus, solidam stare consequentiam S. Thomæ; solum advertendo, quod in illo loco loquitur de ordinatione ad claves vera et interna, id est, quæ provenit ex animo quærente medicinam et remedium peccatorum, non de externa et ficta; hæc enim ad nihilum valet. Et similiter cum dicit, posse esse hanc subjectionem sine contritione, loquitur de contritione habente conditiones requisitas ut sit dispositio, et non solum habente rationem partis et materiæ sacramenti.

XXV. Sic ergo respondemus in forma ad argumentum, bene potest aliquis subicere clavibus Ecclesiæ sine aliquo dolore supernaturali, distinguo; subiectione ficta et solum externa, transeat; subiectione

vera et orta ex animo quærendi remedium peccatorum, nego: non enim stat quod aliquis se subiciat clavibus Ecclesiæ ex animo quærendi remedium peccatorum, et tamen sine ullo dolore supernaturali accedat ad sacramentum, quia animus quærendi remedium peccatorum per sanguinem Christi, est animus excludendi peccata ex aliquo motivo supernaturali; qui enim propter solum motivum temporale, verbi gratia, propter amissionem salutis, vel honoris, detestatur peccatum, non quærit remedium in clavibus Ecclesiæ et sanguine Christi, quia non est effusus propter ista commoda temporalia, sed propter salutem æternam, et liberationem a gehenna: quare si intendit subicere clavibus vere, et non fecte, oportet quod sit ex aliquo motivo, propter quod sanguis Christi effusus est, et per claves Ecclesiæ communicatur.

XXVI. Ad confirmationem respondetur, quod S. Thomas dicit: « Quod potest velle se subicere clavibus Ecclesiæ, sine hoc quod sit contritus, » loquendo de contritione ut est actus virtutis, et dispositio cum omnibus conditionibus requisitis ad justificationem, non ut præcise est pars sacramenti. Utrumque enim membrum distinguit S. Thomas, et loquitur in prima acceptione, quando dicit posse sine contritione confiteri. Quando autem in alio loco dicit: « Quod contritio est de essentia sacramenti, » loquitur de contritione ut est pars sacramenti, non ut dispositio ad ejus effectum. In casu autem argumenti, quod aliquis accederet cum voluntate inefficaci scienter, jam supra diximus, quod confessio erit nulla, non ex præciso defectu dispositionis, sed quia non stat talem vere subicere clavibus Ecclesiæ, hoc ipso quod scienter accedit cum illa vo-

luntate inefficaci, quia sic accedit cum voluntate perseverandi in peccato scienter, et sic destruit omne motivum subjiciendi se vere clavibus, et quærendi remedium peccatorum in sanguine Christi.

XXVII. Sed inquires duo, an fiat sacramentum validum etiamsi quis accedat cum ignorantia culpabili hujus inefficacis propositi vel examinis, licet non scienter, ita quod peccet nova culpa in tali confessione, et tamen verum sacramentum perficiat; an vero requiratur ignorantia invincibilis talis defectus voluntatis, ut sacramentum sit validum.

XXVIII. Secundo, an recedente fictione sacramentum hoc informe habeat suum effectum, et quomodo; an physice vel moraliter; et an talis fictio debeat tolli per novam confessionem, vel contritionem; an vero sufficiat attritionem illam supplere, quæ deficit in sacramenta.

XXIX. Ad primum respondetur supponendo quod ignorantia culpabilis seu vincibilis, est quidem vera ignorantia ex parte intellectus, ita quod non cognoscit illud objectum de quo est ignorantia, sed ex parte voluntatis supponit negligentiam, id est, defectum applicationis ad inquirendum et cognoscendum (deberet enim adhibere media, et diligentiam ad vincendam illam ignorantiam) sunt autem diversi gradus et latitudo in ista negligentia, sicut in opposita diligentia, nam aliquando negligentia est tanta, quod redditur ignorantia affectata et crassa, ita quod etiam rudissimi homines possent illam advertere: et talis negligentia culpabilis reputatur in ordine ad operandum, perinde ac si scienter id fieret: unde talis negligentia et ignorantia reddit sacramentum nullum.

XXX. Aliquando vero negligenti-

tia non est tanta, sed adhibetur aliqua diligentia, licet non sufficiens: et in hoc est magna varietas, nec potest una et eadem mensura quodlibet negotium regulari: quod enim uni negotio est sufficiens, non est sufficiens alteri; et in una confessione plus diligentia requiritur, quam in alia, aut quia intricatior, aut quia longioris temporis, etc. Unde vix potest nisi ad prudens arbitrium relinqui, quanta diligentia sit sufficiens, vel non sit: et aliquando potest esse negligentia culpabilis mortaliter propter gravem defectum in materia gravi, aliquando solum venialiter, quando adhibetur quidem diligentia, sed cum aliquo defectu levi, ut ex aliqua inadvertentia seu digressionem, aut aliquo simili motivo veniali; et tamen super his omnibus potest formare iudicium et dictamen, quod fecerit sufficientem diligentiam; et quidquid amplius adhibeatur, non esse de necessitate, sed de superabundanti.

XXXI. Inter has ergo duas negligentias seu ignorantias vincibilem et invincibilem, existimo quod in praxi vix potest dari casus, quod aliquis accedat ad confessionem cum ignorantia culpabili mortali, ita quod tunc peccet de novo, et tamen quod validum conficiat sacramentum. Ideoque resolute colligo, sacramentum informe solum contingere quando quis accedit cum ignorantia invincibili, aut vincibili veniali, non mortali.

XXXII. Ratio est, quia ut negligentia sit culpa mortalis, requiritur plena advertentia de illius gravitate et exercitio, ita quod advertat se habere negligentiam, eamque esse gravem. Licet enim sufficiat ad peccatum mortale quod aliquis teneatur advertere et non advertat, cum debet, tamen oportet quod hæc ipsa obligatio, et illius omis-

sio sit in materia gravi, et advertatur; aut saltem cognoscat se periculo exponi non tractandi rem illam gravem ea attentione qua debet; nam peccatum mortale utrumque requirit, et materiae gravitatem, et plenam advertentiam, et si fiat per omissionem, quod advertat se omittere seu negligere; si per commissionem, advertat se velle, et in consensum ruere: impossibile ergo videtur quod aliquis in ipsa confessione novum peccatum mortale negligentia, seu ignorantia committat, quin negligentiam illam ejusque gravitatem advertat, vel saltem periculum cui se exponit cum tali negligentia confitendo: si autem advertit se peccare graviter illo peccato negligentia, vel periculi, hoc ipso ex alio capite redditur nullum sacramentum, quia cum advertentia novi peccati, vel periculi ejus, facit confessionem, nec de illo poenitet, quia continuat negligentiam, et facit sacramentum informe in sententia opposita. Si tamen illa ignorantia seu negligentia sit solum venialis, etiamsi sit cognita, non impedit valorem sacramenti, neque ejus fructum.

XXXIII. Sed instabis: Quia, ut nos fatemur, potest dari sacramentum informe ex defectu examinis, et non solum ex defectu doloris; si autem aliquis obliviscitur aliquod peccatum ignorantia invincibili, tale peccatum manet remissum, ut supra docuimus ex Concilio Tridentino, et idem est si ignorantia, seu negligentia solum sit venialis, quia veniale peccatum non impedit gratiam: ergo ut confessio sit informis defectu examinis, requiritur ignorantia culpabilis moralis: ergo falso dicimus, quod cum tali negligentia, seu ignorantia nunquam sacramentum est validum et informe.

XXXIV. Respondetur, quod quan-

do sacramentum confessionis est informe ex defectu examinis, non datur in re diligens advertentia et examen, et sic peccata illa non sunt proprie oblita invincibiliter, et diligenter cogitanti non occurrentia, de quibus loquitur Concilium, sed in re sunt neglecta; solum autem datur invincibilis ignorantia de ipsa sufficientia examinis, aut vincibilis venialiter, verbi gratia, si quis incipit cum aliqua diligentia facere examen, quo nondum absoluto et consummato, vocatur, seu divertitur ad aliquod ministerium necessarium, verbi gratia, ad assistendum infirmo, vel aliquid simile, et postea omnino obliviscitur de absolvendo examine, sed cum illo facto existimat se satis fecisse, quia res ista est arbitraria, nec certis regulis definitur, talis cum invincibili ignorantia defectus examinis accedit, et tamen quia in re non fecit diligentiam, non consequitur fructum confessionis; nec illa peccata oblita includuntur in confessione, quia non verificatur quod diligenter cogitanti non occurrerunt, ut dicit Concilium.

XXXV. Ad secundum respondetur affirmative, quod recedente fictione remittuntur peccata confessa beneficio et virtute confessionis factæ, et quantum ad hoc parificatur illa confessio baptismo remittenti peccata recedente fictione. Ratio efficax est, quia illa peccata semel confessa confessione illa informi non possunt remitti nisi virtute et beneficio clavium Ecclesiæ, sine ordine ad quas nullum peccatum mortale remittitur, sed non in ordine ad novam confessionem, quia non tenetur quis amplius confiteri illa peccata (solum enim obligatur ad hoc quando sacramentum est nullum, non quando solum est informe) ergo per ordinem ad confessionem præteritam: ergo beneficio

illius remittuntur peccata in ea confessa recedente fictione. Quare sicut peccata ante baptismum commissa non possunt tolli nisi ipso baptismo, ideoque recedente fictione baptismus operatur ad remissionem illorum; ita peccata confessa per confessionem informem, per se non possunt tolli nisi per eandem confessionem, quia alteri confessioni per se non subjiuntur, cum sit sublata obligatio confitendi illa; et tamen per se remittuntur in vi aliquis confessionis, quia non nisi per claves Ecclesiæ remitti possunt.

XXXVI. Nec obstat, quod hoc sacramentum est iterabile, et non baptismus, quia respectu peccatorum, quæ confessa sunt, non est per se iterabile (id est, ex obligatione) sed solum ex voluntate poenitentis, quam ipse potest non habere; et tamen peccata illa per se remitti debent in ordine ad confessionem. Solum differentia est, quod in baptismo, etiamsi quis accedat scienter indispositus et fictus, tamen facit validum sacramentum si apponatur materia et forma; in sacramento autem poenitentiae si quis scienter accedat indispositus, aut scienter negligens negligentia mortali, facit sacramentum nullum, quia accedit cum conscientia non peccati, de quo non habet poenitentiam.

XXXVII. Ad aliud quod dicitur, si physice, vel moraliter habeat effectum recedente fictione, pro nunc sufficit dicere, quod quamvis aliqui opinentur quod solum moraliter, probabilius tamen est quod physice, quia jam articulo antecedenti ad ultimam instantiam de hoc diximus, et latius loco ibidem citato, scilicet quæst. LXII, art. I, dubio VI ad tertium.

XXXVIII. Quomodo debeat tolli illa fictio, quando quis facit confessio-

nem informem, an sufficiat attritionem illam apponere, quæ defuit; an vero requiratur contritio, vel nova confessio de tali fictione, respondetur quod per solam attritionem, quæ tunc defuit, si de novo apponatur, tollitur illa fictio, quando fuit posita cum ignorantia invincibili, quia tunc non est novum peccatum mortale in illa fictione, et de jam confessis non tenetur amplius confiteri: si autem illa fictio esset cum peccato mortali tunc de novo commissio, teneretur illud confiteri de novo, quia non est subjectum clavibus Ecclesiæ. Vel potius in nostra sententia, tenebitur reiterare totam confessionem, si cum illo peccato mortali fuit nulla ex defectu integritatis. Quando autem ex defectu examinis sit confessio informis, tenebitur quis illud peccatum oblitum, si in memoriam venerit, confiteri: et non sufficit novum examen facere cum sola nova attritione, quia illud peccatum oblitum nunquam fuit subjectum clavibus Ecclesiæ: ergo hoc ipso quod recordatur illius, tenetur illud confiteri, quia in clavibus Ecclesiæ est jus et potestas ad cognoscendum de omni peccato post baptismum commissio, et judicandum de illo; ergo qui renuit judicari per claves Ecclesiæ, occultando illud, judicabitur a Deo.

XXXIX. Ad rationes dubitandi a principio, respondetur. Ad primam dicimus, quod attritio, quæ est dispositio, et quæ est pars sacramenti, coincidunt in hoc sacramento inadæquate, non adæquate, id est, non mutuo se consequuntur, quia si est dispositio sufficiens, etiam est pars sacramenti, sed non e converso: potest enim esse pars sacramenti, et non esse sufficiens dispositio ad gratiam ex defectu invincibili earum conditionum, quas requirit Concilium ad dispositionem, et non

exprimit requiri ad materiam, ut supra ponderatum est: sicut homo et animal identificantur, non tamen adæquate et mutuo, quia si homo est, animal est, sed non e contra.

XL. Et ad primam probationem contra hoc respondetur Concilium Tridentinum sufficienter distinguere quid requiratur in attritione ut sit pars sacramenti; quid vero requiratur ut sit dispositio ad effectum sacramenti, nam in capite tertio dicit: « Actus poenitentis ea ratione esse partes et materiam sacramenti, quatenus ex institutione Christi requiruntur ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam remissionem peccatorum, scilicet quæ datur in sacramento: » ubi Concilium cautissime et formalissime loquitur, non absolute pronuntians esse partem quatenus requiruntur ad plenam remissionem peccatorum, sed quatenus requiruntur ex institutione Christi: ex institutione autem Christi hoc additum est attritioni, ut ordinet poenitentem ad claves Ecclesiæ, in quibus est plena et perfecta remissio peccatorum, id est, remissio ex opere operato, et ex sanguine Christi. Ad hanc plenam et perfectam remissionem peccatorum non ordinatur attritio ex natura sua, ut præcise est actus virtutis, sed ex Christi institutione, qui elevavit illam ad hoc, ut componeret sacramentum, et esset pars ejus.

XLI. Quando autem in capite quarto explicat Concilium rationem dispositionis in attritione ad impetrandam gratiam in sacramento, explicat alias condiciones, quas non explicavit quando dicit esse partem, seu materiam sacramenti, scilicet, quod non solum sit ex metu gehennæ, vel ex turpitudine peccati, sed etiam cum voluntate excludendi peccata, et cum spe veniæ, etc. alio ergo modo explicuit Concilium in

attritione rationem partis, et rationem dispositionis.

XLII. Nec dici potest, quod Concilium supponit illum dolorem, qui est pars, esse dispositionem, et habere condiciones ad illam requisitas; et talis dolor ex institutione Christi requiritur ad integritatem sacramenti, et ad plenam remissionem peccatorum. Respondetur enim id ex Concilio non constare; et sic argumentum non convincit stando in vi auctoritatis Concilii: potius autem nobis favet, cum diverso modo loquatur, quando explicat quomodo attritio est pars sacramenti, et quando explicat quomodo sit dispositio, si quidem hoc secundo loco exprimit illas condiciones ad dispositionem requisitas (scilicet, quod sit cum voluntate efficaci excludendi peccata, et cum spe veniæ) quas non exprimit quando dicit esse partem. Quod vero eas supponat, non constat ex textu: unde oportet id reducere ad id quod est magis conveniens, et congruum ipsi naturæ et institutioni sacramenti, in quo (ut supra ponderatum est) non debuit pro materia necessaria assignari id, quod tam incertum et occultum est, sicut attritio cum omni conditione requisita ex parte voluntatis efficaci ad disponendum ad gratiam, et propter morale periculum faciendi confessiones invalidas, cum prudenti dubio de illarum invaliditate, quod magnum inconveniens est in hoc sacramento.

XLIII. Ad secundam instantiam respondetur, etiam in sacramento informi verificari formam absolutionis, in primis in illo sensu, quem S. Thomas admittit, et supra posuimus: Ego absolvo te, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo, quidquid sit de effectu secuto, qui potest impediri ex aliquo defectu suscipientis. Atque ita verificatur forma, non de absolutione passiva et recepta in poenitente in actu se-

cundo, sed de absolutione activa, et quasi in actu primo; cujus tamen effectus potest impediri. Unde secundo dicimus, quod illa verba absolvo te, non significant absolutionem cum effectu infallibili ex parte pœnitentis, sed ex vi sacramenti, per quod datur infallibiliter absolutio in sacramento: de facto quidem, si non inveniatur impedimentum ex parte dispositionis: si autem inveniatur illud, non dat absolutionem de facto, sed de jure, quia ex vi sacramenti habet pœnitens jus infallibile, ut recedente fictione illa, præterita remittantur.

XLIV. Ad tertiam instantiam respondetur, non sufficere attritionem

esse supernaturalem ex parte sui motivi (quia videlicet procedit ex timore inferni, et amissionis beatitudinis) et quod etiam supernaturaliter ordinetur ad claves Ecclesiæ, et ad perfectam remissionem in sanguine Christi; sed ulterius requiritur quod iste dolor sit cum voluntate efficaci excludendi peccatum, et cum spe veniæ, et in his conditionibus potest deficere attritio, in quantum dispositio est, quia (ut diximus) potest illa voluntas, seu propositum non peccandi esse inefficax, et illa spes veniæ non esse sufficiens, sed declinare vel in nimiam timiditatem, vel in superfluum præsumptionem.

QUÆSTIO LXXXV.

DE POENITENTIA SECUNDUM QUOD EST VIRTUS.

I. De habitu virtutis pœnitentiæ agit S. Thomas in hac quæstione, et explicat naturam hujus virtutis; tum per ea quæ intrinseca sunt, in tribus prioribus articulis; tum per ea quæ extrinseca sunt, in aliis tribus. Per intrinseca considerat primo genus pœnitentiæ, scilicet, quod sit virtus, in articulo primo: secundo, speciem illius, ostendendo quod est virtus specialis, in articulo secundo: tertio determinando quod pertineat ad speciem justitiæ, quatenus reddit debitum alteri, licet non ad æqualitatem, in articulo tertio: per ordinem ad extrinseca considerat S. Thomas naturam hujus virtutis per ordinem ad suum subjectum, in quo est; et per ordinem ad alias virtutes, cum quibus est. Per ordinem ad subjectum ostendit articulo quarto esse in voluntate; tum, quia ejus actus est dolor, seu tristitia; tum, quia habet modum justitiæ ad alterum; et totum hoc pertinet ad voluntatem. Per ordinem ad principium, a quo originatur pœnitentia, ostendit articulo quinto pœnitentiam oriri ex timore; proxime quidem a timore filiali, quatenus ex reverentia Dei movetur ad illum ut ad patrem pro emendatione; remote autem a timore servili, quatenus incipit pœnitere ex timore supplicii. Denique per ordinem ad reliquas virtutes, ostendit articulo sexto pœnitentiam non esse primam simpliciter inter cæteras virtutes, neque in executio-

ne, quia sic prior est fides et spes; neque ordine dignitatis, quia sic est charitas: est tamen prima quantum ad aliquid, quatenus supposito peccato operatur ad restaurandum gratiam et virtutes, et sic præcedit eas ut restaurandas, non absolute.

DISPUTATIO XXXIV.

DE VIRTUTE POENITENTIE.

ARTICULUS I.

Utrum pœnitentia sit virtus, et in qua specie virtutis?

I. Totam pœnitentiæ quidditatem, seu naturam in hoc articulo explicabimus, tam ex parte generis, quam ex parte speciei, seu differentiæ. Incipiendo ergo, a genere, dico primo: Pœnitentia vere et proprie est virtus. Non disputo modo, an sit virtus distincta ab aliis, vel non; de quo est difficultas apud auctores; sed solum affirmo esse virtutem. Probatur a S. Thoma in articulo primo; tum in argumento Sed contra, quia de pœnitentia datur divinum præceptum; sed præcepta sunt de actibus